



9





DN. VVOLGANGUM CRELLIUM S. S. THEOL. D.

INQUE ACADEMIA MARCHICA P. P. PRÆMONSTRATOREM AC PROMOTOREM SUUM NULLO
non observantiæ cultu examussum prosequendum; quum secundis avibus Regiomontem Borussorum profectus,
inde Francofurtum Marchionum bonis cum geniis revertisset, in gratulabundi gratiq; ani-
mi indicinam votivè acclamata

Ab

ERNESTO WULSTORPIO

Servestâ - Anhaltino.



Quanta tempestas erat! imbre mista
Quanta, Te nostris abeunte Athenis,
Clare MECOENAS adiens Borussos,
Quanta procella!
Videras, montes feterint ut alta,
Tristibus campis, nive cani, onusq;
Ut laborantes neq; sustinerent
Prægrave sylvæ.

Videras, & confiterint acuto
Ut gelu duri fluvij, carinâ
Ut nec astrictam glacie secaret

Navita Oderam.

Videras, imbres Boreas perennes
Ut gravis cælo pareret nigranti:
Ægrius, credo, hunc abitum ferebant

Flumina, cælum!

Usq; consueto gravius furebant!
Usq; vel præter solitum dolere
Deputabantur solidas in horas

Flumina, cælum!

Quem chorum sensisse putas amicùm?
Quemq; cognatos Sociamq; charam,
Siq; præ-tantum tulerint dolorem

Flumina, cælum?

Chara sic Conjux, lacrymis obortis,
Conjugem charum; maneat: Propinqui
Ingemunt quantum! retinebat arcè

Dextera dextram.

Hei Vale durum Sociæ fideli!
Hei Vale durum gravibus Propinquis!
Hei Vale durum lepidis Amicis!

Durâ valete!

Ipsè pars docti quotacunq; cœtus,
Quem fovet clarum viadri Lycæum,
Eloqui nullus valeo, vale istud

Quàm mihi durum.

Jam satis terris nivis atq; diræ
Grandinis misit Deus, acre frigus
Solvitur gratâ vice solis, almi

Atq; Favoni.

Ecce jam sudum nitidumq; cælum!
Ecce, Te nostras adeunte Athenas,
Clare MECOENAS abiens Borussis,

Ecce serenum!

Aspice, ut vineta novo colore
Cuncta nunc passim viveant, apricum
Gramen ut campis redeat, nemusq;

Rideat omne.

Aspice, ut proni trepidare (jam antè
Plus satis duri) fluvij laborent,
Gaudeat cymbâ tremulusq; multâ

Puppe Viadrus.

Aspice, excluso Boreâ benignos
Lenis ut reddat Zephyrus tepores:
Singula accessum, puto, gratulantur
Flumina, cælum.

Usq; nunc gaudent, hilaresq; ludos
Penè cum plausu mihi judicantur
Mutuo fecisse, polo tonante,
Flumina, cælum.

Quis chorum gestire putas amicùm
Gaudiis, cognatos, Sociamq; charam,
Tanta si nullo retinent pudore
Flumina, cælum.

Chara jam conjux, resonante plausu,
Conjugem charum recipit, propinquo
Ecce latantes! iterumq; juncta est
Dextera dextrâ.

Eia Ave lætum Sociæ suâvi!
Eia Ave lætum gravibus Propinquis!
Eia Ave lætum lepidis Amicis!

Dulcia Avete;

Quid mihi? mentem tacitam penetrant
Mille nunc, circaq; meum micabunt,
Dicto Ave læto, bone, quæ, Jehova!
Gaudia pectus.

Gestiant doctæ viadri cathedræ,
CRELLIO sacri redeunte Mystâ
Dogmatis claro; Juvenesq; mecum
Edite plausus.

Euge vos! quotquot pietas verenda
Ac Charis mentem bene-grata gratam,
Et luto gratus meliore finxit
Pectora Titan.

CRELLIO, nusquam dubij probanti
Devium erroris tenuisse, vita
Quin iter sanctæ potius probatum
Cunq; tenenti.

CRELLIO, adsitis Juvenes ovantes,
Arte pollentes epicâ decenti
Euge gratantes! calamo eruditum
Scribite carmen.

Ipsè, cui Gratiæ tenuem Camanæ
Spiritus haud mendax dare Parca amavit,
Gratulans faustum reditum, profundam
Vota, Patrono.

Serus in cæium redeas, diuq;
Latus intersis populo Viadri,
Nevè Te nostrum studiorum amantem
Ocior aura

Tollat: Hic rerum Columnen mearum,
Hic ames dici Pater ac Professor,
Neu finas turbare lupos ovile,
Te Duce, Christi.

45

46.



ULB Halle
002 677 830

3



56

Nv 1999

(1/69.)

VD 17





